



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 21. Badense colloquium circa Religionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI
A. C. 1589.

Joannem Loscium Polonicum Optimatem de Sanctissima Trinitate epistolam exarrabat, quæ postea in Gomari Bibliotheca typis impressa, anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo belgice reddita fuit.

§. XXI.

Badense colloquium circa Religionem.

*Spond. ad
hunc ann.
num. 33.
Melch.
in vit. Theo-
log. Germ.*

Jam antea Joannes Pistorius in Hassia natus, qui antea Lutheri sectam profitebatur, ab ejuratis suis erroribus ad veræ Ecclesiæ sinum redierat, hoc autem anno in Germania disputatio habebatur inter eundem Pistorium, & Jacobum Andream Schmidelinum, ejusdemque sectæ Socios Tubinganos, quibus Fridericus Mombelgaricus Comes præerat: Pistorius autem, ejusque Socii tanquam Præsidem habebant Jacobum Badensem Marchionem, qui quamvis Lutheranus, cum tamen vacillaret, ut conscientiæ suæ quieti consulere, hanc disputationem institui postulabat: cum ergo hæc concertatio instituta esset de Ecclesia, verisque ejusdem signis ex ipso sacro Codice comprobandis, Schmidelinus a Pistorio suo adversario ad tantas redigebatur angustias, ut cunctos hæreticos in Ecclesia comprehendi, fateri cogeretur, ac insuper, ut se extricaret a proposito argumen-

gumento, ad alia quaquaversum diva-
gari compelleretur, unde colloquium
abrumpere oportebat, cujus tamen acta
Catholici auctoritate Badensis Marchio-
nis Colonix imprimi curabant: ipse
vero Marchio abdicata Lutheri hæresi
Catholicam fidem amplexus paulopost
nonnisi viginti octo annos natus ani-
mam Deo reddidit. Vicissim Tubin-
genses hujus disputationis acta ibidem
vulgabant, sed innumeris mendaciis,
atque imposturis referta: porro Jaco-
bus Andreas dictus Schmidelinus, seu
faber paulopost die septima Januarii an-
no Christi millesimo quingentesimo
nonagesimo, ætatis vero suæ sexagesi-
mo secundo periit, postquam scripse-
rat plura opuscula, quorum præcipuum
est liber de concordia. Referunt Scri-
ptorum nonnulli, quod Schmidelinus
morti proximus cognita doctrinæ a se
traditæ falsitate ad Ecclesiæ finem re-
versus fuerit: verum id Protestantes
omnino negant. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1589.

§. XXII.

(*) Ejusdem Pistorii Nidani epistolam ad-
modum solidam de Ecclesiæ veritate scriptam
jam adduximus in Præfatione ad Tomum
XXXVI. seu Continuationis Tom. XII.